



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Cogitationes, Sive Considerationes Christianae Pro singulis Anni diebus**

Complectens Januarium, Februarium, Martium

**Nepveu, François**

**Monachii, 1709**

Dies 18. De fuga occasionum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60495)

violenta & subita Onanis ; flagella, quibus Februarius.

DEUS ob unicum adulterium Davidem castigavit ! tot animæ Christi sanguine redemptæ, quas DEUS ob solum luxuriæ peccatum quotidie ad inferorum flammâs præcipitat, satis ostendunt, ei leve non esse peccatum, de quo, quantumvis misericors sit, tam horrendas sumit pœnas : Atquæ hæc abunde nobis demonstrant, iudicium DEI à iudicio hominum penitus esse diversum. Utri horum assentiri nos oportet ? Quid sentis ?

*Roga DEUM, ut ingentem tibi hujus peccati horrorem iniiciat ; & magnam id evitandi cautionem adhibe.*

Ingreditur blandè ; sed in novissimo mordebit, ut coluber. *Prov. 6. v. 32.*

O quàm lugenda perversitas, ut animam, quam Christus suo sanguine redemit, propter unius momenti delectationem diabolo vendat. *Aug. serm. 350.*

---

## DIES XVIII.

### De fuga Occasionum.

I.

**L**icet dæmon, formidandus sit hostis ; tantus tamen non est, quantum nobis

K 3

eum

Februarius. eum imaginamur. Is cor nostrum non nisi forinsecus aggredi potest; cum id sanctuarium quoddam sit, ad quod penetrare non potest, nisi ipsimet illum eò introducamus. Canis est ligatus, qui allatrare quidem, sed mordere, nisi accedentes ad se non potest. Visibilis non est; & tentationes nostræ periculosæ oriuntur è rebus, quæ sensibus nostris obijciuntur. ipsimet ei suppeditamus arma, quibus nos aggrediatur: Robur suum imbecillitati, vel potius temeritati, nostræ debet, & levitati, qua nos in occasiones conijcimus. Minus igitur temerarij simus, tum ipse debilior, & nos fortiores evademus: Non multum contra nos efficeret, si non ipsimet ultro nos ei committeremus, dum peccandi periculis nos exponimus.

II. Cor nostrum arx quodammodo est à diabolo obsessa; sed non tam vi, quam fraude occupanda, vel clandestinis, quæ in hac arce reperit, commercijs. Hujusmodi commercia sunt cupiditates nostræ, quas ipse captare nititur proprii cujusdam commodi intuitu, vel voluptatis illicio, honorisve splendore. Cæterum hæc objecta, si à nobis remota sunt, exigua in nos vi pollent, verum occasio ea nobis præsentia sistit; simulque potentia & apta reddit  
ad

ad sensus & animi nostri affectiones commovendas, & occupandas. Commotæ verò, & jam occupatæ animi affectiones rationem pervertunt, voluntatem rapiunt; quæ ipsamet hosti suo se ultrò tradit, ejusq; imperio submittit. Quapropter D. Paulus eas appellat stimulum carnis, nuntios seu legatos diaboli, qui cum corde nostro negotiantur, ut consilijs ipsius consentiat, quæ in illius interitum concepit. Nuntij sanè perniciosi, qui dæmonis causa probè agunt; nostram verò evertunt, & nihilominus eos audimus, eisque moram gerimus.

*stimulus carnis Angelus sathan 2 Cor. 12 v. 7.*

III. Tales plerumque sumus, quales sunt res, vel personæ, inter quas versamur. Boni sumus, si illæ bonæ sint; mali, si illæ malæ. Ratio est, quod objecta cogitationes nostras excitent; cogitationes nostra desideria, desideria nostros amores; amor denique vitia aut virtutes generet. Objecta magna semper vi in cor, & animum nostrum pollent sive per se ipsa, sive per sui duntaxat imagines nos aggrediantur. Cæterum vis longè vehementior est, si per se ipsa nos invadunt; cum præsentia sunt; quis verò ea nobis præsentia sistit, nisi occasiones? Fugiamus igitur peccati occasionem, si evitare peccatum velimus. Hoc est medium facillimum, & tutissimum.

**Februarius.** Deus probè consuluit imbecillitati vel ignavia nostræ, dum salutem aut victoriam è timore, & cautione nostra, & non è resistantia, vel animi magnitudine pendere voluit. Timeamus proinde; tum securi erimus; timeamus, tum victoriam reportabimus. Si posthac vincamur, in quem, nisi in nos ipsos, nostramque temeritatem referre culpam possumus?

*Statue omnes peccandi occasiones fugere, præsertim illos, quas tibi periculosiores esse nôsti.*

Fugite, & salvate animas vestras. *Jerem. 48. v. 6.*

Maxima providentiæ compendia, quod victoria fiat per fugam & timorem. *Cyprianus.*

## DIES XIX. De Tepore.

### I.

**S**tatus teporis Status periculosissimus est. Is non rarè in discrimen nos conijcit eò deveniendi; ut justitiæ DEI fiamus scopus; dum nos impellit, ut Consilijs, quæ ejusdem Misericordia de nobis concepit, resistamus. Sunt homines, quos DEUS singulari amoris affectu, providentiâque dignatur; homines, qui ad virtutem nari bonam

nam